



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui animalia à bestiis dilacerata, vel laqueis strangulata comedunt.  
lxxxv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

tiam, sed quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, priora dimittenda Dei iudicio, de reliquo maxima sollicitudine præcauendum, ne fiant.

*De illis qui scabiem, aut vermiculos comedunt, vel urinam bibunt. Cap. LXXXIII.*

**VI** comedit scabiem, aut vermiculos, qui pediculi dicuntur, vel urinam bibit, siue stercora comedit: si infantes sint, vel pueri, vapulet, si in virili ætate, viginti dies pœniteant: & utriusque cum impositione manus episcopi sanentur.

*Ex pœnitentiali Bedæ.*

*De illis qui animalia à bestiis dilacerata, vel laqueis strangulata comedunt. Cap. LXXXV.*

**A**nimalia quæ à lupis, seu canibus lacerantur, non sunt comedenda, nec ceruus, nec capreus, si mortui inuenti fuerint, nisi fortè ab homine adhuc viua occidantur prius, sed porcis & canibus dentur. Aues verò & cætera animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda: nec si accipiter oppresserit, & si sic mortua inueniuntur: quia in Actibus apostolorum præcipitur abstinere à fornicatione, à sanguine, & suffocato, & idololatria.

*Ex pœnitentiali Theodori.*

*De apibus, si occiderint hominem. Cap. LXXXVI.*

**P**ES si occidunt hominem, ipsæ quoque occidi festinentur, mel tamen manducetur.

*Ex eodè.*

*De porcis & gallinis, si sanguinem hominis comederint. Cap. LXXXVII.*

**S**i porci vel gallinæ sanguinem hominis comedunt, mox occidantur, & intralia proiciantur, & cætera caro manducetur. Si autem tardatur occisio, non manducetur. Si autem cadauera lacerauerint mortuorum, macerentur, & post anni circulum comedantur. Si autem porci occiderint hominem, statim interficiantur, & sepeliantur.

*Ex eodè.*

*De illis qui carnem immundam, vel morticinam comedunt. Cap. LXXXVIII.*

**VI** manducat carnem immundam, aut morticinam, aut dilaceratam à bestiis, XL dies pœniteat: si enim necessitate famis contingit, multò lenius est.

*Ex eodè.*